



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani E Societate Iesv Adolescens Prodigvs

Scribanius, Carolus

Monasterii VWestphaliae, M.DC.XXI.

Magdalenæ Lacrymæ. Amor, Exilivm, Gavidia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46252)



MAGDALENÆ LACRYMÆ.

AMOR, EXILIVM, GAVDIA.

STROPHE I.

Innixa pennis versicoloribus,
 Bombyce fulgens diuite,
 Molles reuincta floribus
 Crines, procaci fronte, lubricoq;
 Adspici vultu, faciliq; dulcis
 Flexu loquela cordibus imperat
 Mortalium: quos dum beare creditur
 Interimit, suavi præbens sub lacte venenum,
 Atque truces molitur Hyæna
 Seuior insidias,
 Nouusq; Protheus mille formas induit,
 Vt sacra leges Themidis resoluat,
 Blanda voluptas.

ANTISTROPH. I.

Hec innocenti sanguine dexteram
 Regis Davidis polluit,
 Quo nullus antè gratior

Regi supremo cælitum: capillis
 Indidit cæsis tibi vincla Samson,
 Vt te superbis traderet hostibus,
 Quæ nulla vis potuit ferocem subdere:
 Huius & impulsu fallacia numina Diuûm
 Diuino dignatus honore est
 Rex sapiens Salomon;
 Qui conditori siderum quondam pius
 Inclytam sumptu celebremq; gaze
 Struxerat adem.

EPOD. I.

Quid Magdalenam mirer incautam premi
 Dura compede vincam
 Diræ sub domina iugo
 In flore primæuo iuuenta?
 Quid excolentem corporis
 Numine posthabito decorem?
 Illa comas olim gemmis ornabat & auro
 Studens amantibus videri pulchrior,
 Pubemq; gaudens cernere
 Lentis ignibus vri.

STROPHE 2.

At cum sororis vocibus anxiiis
 Christus precantis annuit,
 Almo iubente Spiritu,

R 2

Eparte

E parte cali defilit serena,
 Regiam vittis redimita frontem
 Puro coruscans lumine Gratia:
 Ut pulcra nubes Iridis coloribus
 Depictas pedibus premit, & felicitis oliuae
 Defert donatura coronam.
 Protinus his radiis
 Icta cadit artus detegens, & exhibet
 Tabida nolens cute se videndam
 Fœda voluptas.

ANTISTROPH. 2.

Tu Magdalene discutis insitas
 Mentis tenebras, & iacens
 Immane monstrum conspicias
 Non ante visum. Quo pudore malas
 Inficis? Quales gemitus profundis?
 Iam margaritas ponis, & aureos
 Incompta crines prodis, & Christo ream
 Te sistis, lacrymisq; pedes veneraris obortis,
 Atque sacras mœstissima plantas
 Lambis, & imbre rigas,
 Comisq; tergis, & relata negligis
 Probra, mox culpis capis exoluta
 Pignus amoris.

EPOD.

EPOD. 2.

Amansq₃ amantis igne Christi feruida,
 Flagris membra cruentans,
 Priscos prouida sanguine
 Extinguis ignes, & fideli
 Amore constans, gressibus
 Impavidis sequeris magistrum,
 Per gladius hastasq₃ crucis miserabile pondus.
 Hæres sepulchro lacrymans; & exerat
 Seu condat vndis sol iubar,
 Completes questibus auras.

STROPH. 3.

Amor pericli nesciue horridi
 Ut morte perstat fortior!
 Frustra frementis aquoris
 Iudæa frendens obijcit procellis,
 Te neci damnans: moderantis expers
 Nautaphaselus, non ope remigis,
 Velive currit humidus pelagi vias:
 Se placidi sternunt fluctus, se lucidus æther
 Nube carens ventisq₃ serenat.
 Iam Paphon atq₃ Rhodon,
 Cretamq₃ linoquit, iam Zacynthi littora,
 Et Cephalenum legit, Actiasq₃
 Prospicit oras.

ANTISTROPH. 3.

O qua trecentis hæc freta nauibus
 Regina sulcans, Casarem
 Armis laceffens, vltimam
 Regnis parabas Italis ruinam;
 Patrio pulsam lare Magdalenam
 Si fluctuantis ludibrium maris,
 Escam futuram piscibus, nunc cerneres
 Calicolas inter diuini nectaris haustu
 Sublatam super æthera vesci,
 Deliciisq; frui
 Celestis aula, quid tibi mentis foret?
 Quid decor formæ, Phariusq; fastus,
 Sceptraq; profunt?

EPOD. 3.

En luce functa habes pudendam regij
 Solùm nominis atro
 Regni è funere gloriam.
 Nec lata vixisti, superstes
 Vix vna puppis reddidit
 Te patrio profugam Canopo.
 Conderis, & viuens latebris abstrusa sepulcri,
 Coacta mox lethum cerasæ morsibus
 Vltro subire, Casaris
 Subducenda triumpho.

STRO.

STROPHE 4.

At Magdalene per Siculum fretum
 Rabiem Charybdis præteris
 Secura, finesq; Italos
 Egressa, tendit Gallicas ad vrbes.
 Huc Dei nutu, Superumq; ductis
 Appulsa portum Massilia tenet,
 Nomenq; Christi gentibus disseminat.
 Hinc abrepta colit pendens in montibus an-
 trum

Quod frontem prope sidera tollit.
 Hic gemit & lacrymat,
 Hic angelorum cœtibus carentium
 Adstat, hic vnum meditata Christum,
 Se quoque nescit.

ANTISTROPH. 4.

O me patrato crimine sordidum,
 O me iacentem respice
 Dux alma pœnitentium;
 Te Christus audit, nam tuis sepulcro
 Excitat fratrem precibus: furentis
 Te de draconis faucibus eximit,
 Et limpidas è rupe lymphas elicit.
 Salue cara Deo rupes, fons inclyte salue,
 Iam Pindi mihi culmina sordent:
 Tu sacra lymphæ precor

R 4

Ecorde

*E corde prome lacrymas, pro carmine
Execror myrtum, mihi det coronam
Ramus oliua.*

EPOD. 4.

*O ter beatum, qui dolore percitus
Vita turpiter acta
Labes fletibus eluit,
Virtutis in regno! vel ipsis
Vero referta gaudio
Elacrymis oritur voluptas.
Nil tamen in tuto mortalibus, vltima donec
Recludat hora cuique sortem. Gloria
Perennat vna calitum
Extra vulneris ictum.*

MAGNI